



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. An de o[b]jecto supernaturali possit esse act[u]s naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

effectus Dei connaturalis, idem autem solum inferetur, Deum esse ens supernaturale in causando.

INSTAT 1. Gratia nos facit participes naturæ divinæ; & tamen est gratia supernaturalis. Ergo apparet & naturam divinam esse supernaturalem.

RESPONDETUR. Licet gratia sit participatio supernaturalis nominativè, non est tamen participatio supernaturalis genitivè; potestque adhuc ipsa natura non esse, quæ participatur supernaturalis, ad eum modum, quo gratia est participatio creata Dei; & tamen Deus, non est quid creatum.

INSTAT 2. Gratia est ens supernaturale. Ergo & Deitas.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia pro Antecedenti sunt rationes, quæ non militant pro Conseq.

INST. 3. Idem Rec. Suar. Si possibilis foret substantia, naturâ suâ Beata & impeccabilis, foret supernaturalis, Deus autem est seipso Beatus & impeccabilis.

RESPONDETUR. Concedendo secundum assertum 2dum, hoc sensu Deum esse substantiam supernaturalem. Absolutè autem non tenet paritas: quia in illa creatura salvaretur esse habitum ab altioribus Dei viribus, quod implicite importat supernaturale; hoc autem nullo modo competere Deo; & tamen supernaturale secundum assertum tertium, dicit implicite esse habitum ab altioribus viribus; ex eo autem, quia Deus est Auctor gratiæ, solum sequitur eum esse supernaturale in causando, & cum etiam sit Auctor naturæ, habebit substantiam naturalem. Universaliter autem Deus, qui est causa æquivoca creaturarum, non debet in sua entitate sequi conditionem operum extrinsecorum.

DICES 3. cum eodem. Supernaturalitas tam secundum conceptum absolutum, quam respectivum, est perfectio simpliciter simplex, hoc est melior ipsa quam non ipsa. Ergo debet reperiri in Deo.

RESPONDETUR. Esse supernaturale secundum id, quod dicit explicite, non importat imperfectionem. Unde secundum assert. 2. competit Deo; sed secundum id quod dicit implicite, importat imperfectionem, ut dictum assert. 3.

QUÆSTIO III.

De specificatione Entis supernaturalis.

Sicut omne Ens, ita & supernaturale desumit suam specificationem ab ipsa met sua entitate: entia autem respectiva, ex ordine intrinseco ad extrinseca, qui etiam ordo competit supernaturalibus, adeoque & specificatio; redit tamen quæstio de specificatione actuum supernatura-

lium sub his terminis. An circa objectum supernaturale, possit esse actus naturalis, & circa naturale supernaturalis.

DIFFICULTAS I.

An de Objecto supernaturali possit esse actus naturalis.

DICENDUM 1. *Circa Objectum supernaturale, potest dari actus naturalis.*

PROBATUR 1. Actus Arriani quo negat Trinitatem, vel est naturalis, vel supernaturalis. Si supernaturalis. Ergo ex gratia per Christum, estque fructus passionis, quod dicere absurdum est. Si autem est naturalis. Ergo circa objectum supernaturale: quale objectum, est Trinitas, utpote à nullo intellectu creato investigabilis, potest esse actus naturalis.

PROBATUR 2. Nihil magis est supernaturale quam ipsa supernaturalitas, circa quam potest esse actus naturalis; ut si quis eam negat, vel metaphysicus dividat ens in naturale & supernaturale.

PROBATUR 3. Argumento negativo; quia id non implicat contradictionem.

DICENDUM 2. *Circa objectum supernaturale etiam ex motivo supernaturali potest procedere actus naturalis.* Est Conclusio, quam plures docent apud Ovied. de Anima. Contr. 15. p. 4. n. 19. & apud Rec. Suar. Tr. 4. d. 6. s. 1. §. 2. cum Scoto, Gabriele, Mol. Herize, Gran. Koning. Salaz. docet & Ripalda d. 45. n. 21. contra Valq. Ruiz, Arrub. Tann. Fasl. & alios. Lugo mediam viam de fide d. 9. s. 1. init, dicens possibile id quidem esse, defacto tamen probabilius oppositum fieri.

PROBATUR 1. Conclusio. Argumento Negativo; quia id non implicat contradict. conversiq; ex Hæreticis fideles fatentur v.g. Mysticis unitatis divinæ, se assensus fuisse propter veritatem per Evangelium manifestatam; licet v.g. non crediderint purgatorium; quæro an id crediderint fide supernaturali; an naturali? si supernaturali. Ergo datur fides supernaturalis infidelibus; si naturali. Ergo ex motivo supernaturali, quia fidei, posuerunt actum naturalem.

PROBATUR 2. Tum quia. Si circa objectum supernaturale idq; ex motivo supernaturali non posset dari actus naturalis, sed nonnulli supernaturalis. Ergo sciret aliquis se esse in gratia Dei: quia novit per fidem cum amore supernaturali Dei, non stare peccatum; & ex altera parte experitur se amare Deum ex motivo solius illius bonitatis, quod est motivum supernaturalis amoris. Tum quia, potest demonstrari Deum esse summe bonum. Hanc demonstrationem cur non posset sequi Amor etiam naturalis proportionatus etiam illi notitiæ naturali? Tum quia. idem motivum formale potest in uno fundare assensum scientiæ, in alio probabilem.

DIFFICULTAS II.

Circa Objectum naturale, potestne fieri actus supernaturalis?

DICENDUM 1. *Circa objectum naturale, seu attingibile lumine naturae, posse fieri actum supernaturalem.*

PROBATUR. Quia Metaphysica demonstrat Deum esse, & tamen etiam est actus supernaturalis, Credo in unum Deum.

DICENDUM 2. *Circa objectum naturale ex motivo naturali potest fieri actus supernaturalis.*

PROBATUR 1. Communiter objectum naturale ex motivo naturali, potest attingi, actu pendente à principiis supernaturalibus. Ergo potest attingi actu supernaturali. Probatur consequenter, quia potest attingi actu pendente, vel ab uno principio supernaturali effectivo, est posse attingi actu supernaturali, quod ipsum probatur; quia cum elicitur actus amoris supernaturalis, elicit illum potentia volitiva naturalis, & tamen actus est supernaturalis, propter concursum, vel habitum, vel auxilium indebiti. Ergo potest attingi actu, vel ab uno principio supernaturali pendente, est, posse attingi actu supernaturali. Antecedens primum probatur. Tum quia. Objectum materiale sub ratione materialis potest attingi à principiis spiritualibus. Ergo & objectum naturale ex motivo naturali, à principiis supernaturalibus. Tum quia. Non implicat scientia infusa in entitate supernaturalis attractiva etiam naturalium. Tum quia. Unio Hypostatica supernaturalis, potest attingere humanitatem Christi in entitate naturalem. Ergo & actus supernaturalis, ex motivo naturali, potest attingere objectum naturale.

PROBATUR 2. Quia id non implicat contradictionem. Præcipue autem, quia habitus supernaturales habent se per modum potentiae supernaturalis; virtusque illis identificata, est supernaturalis; hinc si exeant in actum, exeunt secundum suam virtutem, dantque esse actui secundum suam virtutem: producant enim talem effectum, qualem ejus virtutem habent, cur ergo assumendo motivum naturale illa principia supernaturalia Physicè influentia in actum, non producant actum supernaturalem; & ad qualem producendum ordinantur naturā suā, ordinantur autem ad actum supernaturalem.

Non nego tamen, quod divinitus fieri possit; ut etiam producant actum naturalem, sicut enim miraculose potest assumi naturale ad producendum aliquid supernaturale, ita miraculose potest assumi supernaturale ad producendum aliquid naturale.

PROBATUR 3. Potest ex motivo supernaturali non supernaturaliter concurrente fieri actus naturalis. Ergo & ex motivo naturali supernaturalis, accedente principio effectivo supernaturali.

(Z) 4

DICENDUM

babilem. Cur ergo idem motivum supernaturale non poterit movere actum naturalem?

RESPONDEBIS. Quod amor supernaturalis, debeat esse Dei prout est principium donorum supernaturalium.

CONTRA. Hoc ipsum potest nosci secundum rationes communes per rationem naturalem, cur non & amari naturaliter? Deinde si potest amari Deus propter se ut dictum actu naturali, poterit etiam amari naturaliter prout auctor supernaturalium: quia bonitas Dei secundum se, est radix hujus posterioris, & aliquid ut ita dicam excellentius: nam ut Deus sit actu auctor talis bonorum, pendet à libertate Dei; ut autem sit bonus ex se, est illi hoc essentiale, hinc si circa Deum prout est bonus in se, possit dari actus naturalis, poterit dari etiam circa Deum prout est auctor supernaturalium.

PROBATUR 3. Communiter. Possum ego naturaliter audire dum mihi narratur Deum assumptis naturaliter humanam. Ergo etiam possum naturaliter concipere & affici circa illud objectum supernaturale. Imò non potest frequenter ostendi diversitas motivorum in actu naturali & supernaturali, ut si ex commiseratione miseriae, nunc naturaliter, & aliis supernaturaliter movear ad eleemosynam, quod argumentum pluribus prosequitur Lugo.

DICENDUM est 3. *Circa objectum supernaturale ex motivo supernaturali movente supernaturaliter seu modo sibi proportionato, implicat contradictionem fieri actum naturalem.*

PROBATUR. Tum quia, & non esset ille actus supernaturalis, ut supponitur, & esset: quia actus qui ponitur ab iisdem principiis, & eodem modo concurrentibus, quo concurrunt ad actum supernaturalem, non potest non esse supernaturalis: cum supernaturalitas non nisi ab iisdem principiis modo sibi proportionato concurrentibus ponatur. Sed ille actus supernaturalis ponitur ab iisdem principiis, & eodem modo concurrentibus. Ergo. Minor probatur: quia motivum supernaturale modo supernaturali concurrere non aliud est, quam elevari simul potentiam, ut secundum conditionem elevationis, ponat actum, quo casu indubiè ponitur actus supernaturalis, hinc quotiescunque hæc principia dicto modo concurrent, erit actus supernaturalis. Tum quia. A non esse supernaturalis, ad esse supernaturalem, transitur per concurrere modo supernaturali, quo enim alio? Ergo implicabit non esse tunc actum supernaturalem. Quia hoc ipso non esset illa ratio transcendendi ad esse supernaturale. Tum quia, implicat motivum scientificum modo sibi proportionato concurrere, & non producere actum scientificum. Ergo à pari, implicabit motivum supernaturale, modo sibi proportionato concurrere, & non supernaturaliter actum.